

cæ potiones, & lavacra profunt, quæ subinde interjecto brevi spatio assumenda sunt, priusquam morbi genus emerferit, quo semel erumpente opem ferre non potest ulla medici opera. In ictu hæmorrhoidis eadem profunt. Insuper quæ in commune opitulantur, ut scarificationes, ustiones, acres cibi, meraci potus, & quæ nunc in dipsade defini vimus. Quinetiam decocta vitis folia, & cum melle trita.

Hæmorrhoi per niciofus ictus, & hist.

Hæmorrhous, & Hæmorrhoids, aut bore Galeno in libro de theriaca ad Pisonem, suis ipsorum nominibus similem hominibus perniciem inferunt: quippe percussæ, sanguine per os, & nares, totq; corpore effuso, intereunt. Hic (ut in Theriacis cecinit Nicander) petrosas rimas assidue incolit, asperum, supinum, & modicè pendentem lectum illic sumens, ubi tractum suum habeat, deinde pabulo satur fiat. Longitudo ejus pedis vestigio æqualis: ceterum quod ad latitudinem attinet, à capite ad usq; caudam totus & subtilis, & minutus est. Aliàs colore igneo, aliàs rursus candens. Collo satis contracto est gracilis cauda necessariò in arcum contracta, extensa est angustè, & tenuiter. Supra ejus frigidus, & nivales oculos, duo cornua fronti sunt infusa: albore luminum suorum, locustis vel sylvestribus apibus par. Insuper horribile, & asperum ei caput horret, obliq; modico corpore suo instar cerasæ claudicans. Ex medio etiam dorso parvum navigium semper appellit, ad terram ventrem suum atterens: squamis verò & itinere parum subsistit, perinde ac arundinis copiam transeat. Post ictum statim decolor species accurrit, nigra nimirum, corq; ipsum dolore circumangitur: venter aqua refertur effluit. Quin & prima nocte sanguis cum ex naribus, tum collo, & auribus salit, recens bilioso veneno co inquinatus: lotium item rubens accurrit, quæq; in corpore sunt vulnera, & plaga, hæmorrhoi rumpuntur aperianturq;: cutes enim fuligine contrahuntur. Caveas itaq; in primis, ne in te femina hæmorrhoi virus suum jaculetur. Nam si cui morsum illa inflixerit, ei gingivæ simul ignescunt, penitusq; & unguibus sanguis cum impetu procurrit. Dentes etiam ex ea cade graveolentes, seu humentes molant: hæc ex Nicandro. Cui subscribit Aetius, sic inquit. Animalia hæc (hæmorrhoum, & hæmorrhoida intellige) colore quidem sunt arenoso, magnitudine autem tres palmos æquant, & in tenuem caudam angustâ figura paulatim desinunt. Sunt autem igneo oculorum fulgore, rectaq; & tarde prorepant. Per corpus verò multis notis albū, & nigris variegata sunt, & asperioribus squamis obita: quapropter dum serpunt, sonus auditur. Et femina quidem ventri incumbens, per terram reptat, & gressum inferne circa caudam firmat: mas verò circa ventrem ingressu nititur, & collum serpendo extendit. Consequitur horum morsum color icti loci cruentus, coloris terti, & nigricans: ex quo nihil in initio effluit, præter quam paucum quidpiam aquosum. Venter dolore tentatur, adestq; spirandi difficultas. Deinde sanguis ex naribus profluit, & ex ipsius morsu foraminibus: & si qua in corpus obdulta jamdiu sit cicatrix, ea rumpitur, & sanguinem profundit atq; hæc quidem in mari hæmorrhoi morsu contingunt. A femina verò hæmorrhoidis morsu ad hæc & anguli oculorum, dentium gingivæ, & unguum radices sanguine manant, & ut simpliciter dicam, per omne corpus sanguinem effundi contingit. Dentes præterea excidunt, & gingivæ putrescunt. Horum porò curam facere oportet, primum quidem sanguinis eruptioni obliando ac resistendo his medicamentis, quæ aptè sanguinem sistere possunt, deinde cataplasmata plaga imponendo ex foliis vitis collis tritis cum melle, & portulacæ foliis cum polenta. Antea vero quam cruenta prodeat urina, alij multum devorent, multumq; vini diluti bibant, & ad vomitum cogantur, deinde confestim Theriaca exhibeatur, & postea pisces multos, allii tritis cum oleo tinctos edant. Sumant item in cibo panem, & uvam passam dulcem, & deinde vino diluto largè hausto vomant. Plaga verò aqua frigida proluitur: vesica autem spongiis calidis soveatur. Sed jam de DIPSADE differamus, quæ sic à Græcis dicta est, quod continuam, & inextinguibilem sitim excitet. Hujus mentionem fecit Galenus lib. 11 simp. med. ubi ejusmodi seras in Lybia, non in Italia reperiri scribit: quod hæc regio humida sit, illa verò siccissima. Hoc autem à Marfæ, qui Roma viperæ venabantur, accepisse ait, quibus tamen non in omnibus fidem adhibendam esse existimant. Quare longe minus nos his circumforaneis fidem præstare debemus, qui Marfos hosce imitati, divi Pauli generi se ad scribunt seq; inde ortum duxisse prædicant. Nam si Galeni atate hi mendacissimi nebulones universo orbi imponebant, veri quidem similitum est, eos qui hodie per Italiam vagantur, longe magis decipere posse, quam fecerint Marfi illi antiqui, quippe non dubitandum, quin eorum astus à Galeni seculo in hunc usq; diem protrahatur, maximum suscepit incrementum, quod constat mortalium ingemata tam in bonum, quam in malum proclivitate, atate magis acui. Meminit etiam Dipsadi Gal. lib. de theriaca ad Pisonem, sic scribens. A Dipsade con. morfi causo fabri malè conficiuntur: nam & multa siti, & astu vehementi vexati, interdum & disrupti diem obeunt. His Galeni verbis subscribit Aetius lib. 13, ubi sic inquit: Dipsas, quæ à quibusdam Causus appellatur, vipera est species, quæ magis in maritimis locis reperitur, quam alibi, magnitudine cubitali, ex crassa in tenuem desinens: notas autem habet per omne corpus solvas, & nigras: caput verò angustius. Sequitur autem ab ea demorsos, præter ea quæ de vipera dicta sunt, & sitis intolerabilis plane, adeo ut etiam si multus potus ei adhibeatur, sitis non sedetur. & tamen neq; per urinas, neq; per vomitum, neq; per sudores quicquam excernitur. Duobus igitur pereunt modis, aut ob multam sitim exusti, si potum non sumant: aut ob multam potus repletionem distenti, rumpitur venter, vel inferne circa inguina vel circa immum ventrem, ut in aqua inter cutem sapius evenit. Ceterum & his, cœn à vipera demorsis, auxiliamur: propriè autem in his potiones magis urinam cientes exhibeantur. Alvus item per infusum eluatur, & oleo cum decoctis exhibito, ad vomitum cogendi sunt malè affecti. Ad plaga verò locum, post exustionem, circumcissionem circumquaq; se alpello factam, cucurbitularum affixionem & dissectas gallinæ a. motas, calx viva cum oleo imponitur, & emplastra attractoria, & theriaca illinuntur. Porò Dipsadu privatum meminit Aelianus lib. 9 de hist. animal. sic inquit: Dipsas cujus vim, & naturam ejus nomen nobis declarat, inferior quidem est magnitudine, quam vipera, sed tamen in occidendo quam celerimè superior. Cujus morsu confixi, et si assiduam potionem hauriant, ad sitim tamen continuo exardescunt, & ad bibendum catenus inflammantur, quoad celerimè rumpantur. Eam Sofratus cum albam esse ait, cum duas in cauda lineas nigras habere. Et sicut audio, vario, multipliciq; nomine nuncupatur: quidam præstere vocant, alij caufonem, alij anombaten à quibusdam melanurus appellari fertur. Cum in Aphrica tum magis in Arabia nascitur: hæc Aelianus. Ex quibus verbis manifestè deprehenditur error Leonici vti alioquin eruditissimi, qui Dipsadem putavit corporis forma nullis notis à vipera diversam esse. Nec equidem scio, quâ ratione, vel auctoritate nixus, in hanc opinionem venerit, in eaq; persisterit.

Iconice-
ni etror.

VA. &

NATRIX.

CAP. LI.

AB Natrice demorsis ulcus dilatatur, & lividum, ac ingens evadit. Sanies ex comulta, & atra, & malè olens, non secus atq; iis quæ serpunt ulceribus, expuitur. Si ergo morsum natrice adigit, prodest organum tritum, & aqua subactum: lixivium cum oleo indita, aut aristolochiæ cortex, aut querna radix minutim

nutim contrita, & hordei farina cum aqua, & melle colliquata. Bibuntur etiam binæ aristolochiæ drachmæ in portione poscæ cyathis duobus, deinceps marrubii succus, vel decoctum alterius cum vino: favius recens datur in aceto.

Hydri anguis in aquis plerumq; degit, à quibus nomen sibi vendicavit. Sunt & qui Natricem, quoddam aquis innatet, <sup>Hydri si-
ve Natricis
hitt.</sup> vocent. Hic si relictis aquis, terras inhabitet, longè nocentior evadit, vocaturq; tunc Chersydrius. Differt tamen à dryino, qui (ut superius diximus) Nicandro hydrius etiam appellatur. Siquidem ipse de Hydro, cujus nunc historiam, morsus discrimina, & remedia prosequimur, differuit sub Chersydri nomine in theriacis, sic carmine in prosam verso scribens. Age itaq; Chersydri, qui aspidi conformis est, figuram aequalem recita. Sed plagam ejus malefica, & pessima sanè signa sequuntur. Tot a cutis circa carnem arida, & abominabilis expassa ab internis partibus, humentem ictum satis certò indicat, putredine sat discens. Quinetiam dolores immensi ignescentes, hominem tandem interimunt: mox etiam per membra pustula finguntur, aliæ ex alia parte invicem turbantes agrum. At qui chersydrius jam antea in urido, seu parum aquæ habenti lacu, irreconciliabilem canis iram adfert. Enimvero ubi sole aqua exiccata fuerit, adeoq; ariditas in fundo extiterit lacus, tum hic serpens in terra sese continet, & squalidus, & deformis in sole tetrum corpus suum refocillans: in semitis autem, lingua sua afflando sitibundus sulcos exedit: hac ille, Chersydri quoq; meminit Aetius lib. 13. c. 35. his verbis: Serpens hic chersydri appellationem inde habet, quod in principio quidem in aquis degit locus, & hydrius appellatur ab ipsis aquis, hoc est natricis, postea verò siccos incolit locos, & ex compositione locorum, chersydri, id est natricis terrestri, nomen invenit. In humidis quidem locis, ex humido victu exsatiatus, non purum venenum habet: cum autem terrestri sit, nocentius id acquirit. Ceterum forma parvam terrestrem aspidem refert, præterquam quod cervicem non ita latam habet: hoc enim insigne solum aspidem præ his habent. Qui igitur ab hoc morfi sunt, eis communiter eadem accidunt, quæ in aliorum serpentium morfu, veluti est tumor, continuus dolor ardens, lividus locus, & faculentus, vertigo oculorum, exolutio, vomitus biliosus, ac foetidus. Propriè autem motus totius corporis inordinatus, ut & per ventrem quadam inordinatè ferantur: mors autem intra tres dies. Porro ex communibus remediis etiam hi opem ferunt, & ex theriacis antidotis. Privatim verò conicupressi drachmam unam, & myrti baccarum itidem unam, terito, & cum melle rosaceo, aut vino mulso in potu exhibeto. Juxta verò affectum locum calcem vivam, & similia, cum oleo imposito.

Κήρυξ.

CENCHRUS.

CAP. LII.

Cenchri morsum, qui viperino ictui similis est, putridum ulcus sequitur: carnes antea, ut in aqua inter cutem, prætumidæ defluunt: lethargo corripiuntur, & veterno pressi somnos captant. Erasistratus eos jecinore, intestino jejuno, coloq; confictari author est: quippe dissectis ipsis, omnes ferè partes corruptæ reperiuntur. Morfi à cenchro auxiliatur lactucæ fructus cum lini semine illitus, & satureia trita, & sylvestris ruta, & serpyllum, cum duabus hastulæ regiæ drachmis, & tribus vini cyathis, aut aristolochiæ radix, item cardamomum, & gentiana.

Quamvis Aetius appellavit Cenchrum ammoditen, & Acontiam cenchriten, non tamen propterea censendum est Cenchrum, de quo hic differit Dioscorides, ammoditen, aut acontiam esse: quod hic nullam cum illis habeat cognationem, nec similitudinem. Ea autem de causa Cenchrus dictus est, quod maculis per quàm minimis (ut Lucanus est author) milij magnitudine, & colore, universum ejus corpus respersum appareat. Avicenna cenchrum famosum appellat.

Κεράστ.

CERASTES.

CAP. LIII.

Aceraste percussus locus attollitur, cum duritia pustulosus, è plaga sanies profluit, modò atra, modò pallidior: sed toto concretu varicosus intumescit: genitale intenditur, mens labat, & oculorum caligo exoritur: deniq; rigore nervorum distenti commoriuntur. Si cerastes percusserit, cita partis amputatio suffragatur: quare sine mora ictam partem amputare, aut scalp pro confestim circumcidere, & iis similia prosequi oportet. Urentia insuper reliquiis admovenda: siquidem virus hoc veneno basilisci simile est.

Cerasta, quorundam probatissimorum authorum testimonio, in Aphrica duobus in capite cornibus cochlearum instar <sup>Cerastæ
morsus
exitialis,
& auxili-
lia.</sup> oriuntur, à quibus cerasta, hoc est cornuti, nomen invenerunt. Horum morsu lethalis ferè semper fuerit, nisi (ut Dioscorides inquit) demorsum membrum statim à reliquo corpore abscindatur, amputeturq; aut saltem illico omnis caro, qua demorsum ambit locum, circumcidatur. Immanis hæc fera (ut refert Aetius) cubitalis est longitudinis, longissima duorum est cubitorum corpore verò arenosa, & juxta caudam desquamata. Eminentias habet in capite duas, cornuum similitudine: partes verò circa ventrem ex ordine squamis obsitæ sunt, quapropter in serpendo sonum sibilo similem edit, per obliquum autem, non rectè præreptat. Julius Solinus Cerastam (inquit) quadrigemina cornicula, non quidem gemina gerere scribit cap. 30. Polyhistor, quarum ostentatione velut esca illice sollicitas aves perimunt. Nam reliqua corporis de industria arenis tegunt, nec ullum indicium sui præbent. Ceterum percussus ab ea, elevatio at tumor plagæ capitis clavi similitudine insurgit, & sanies profluit vini colore, aut nigricans, & maxime per ambitum, velut in eruentatis ac sugillatis aliàs fieri consuevit. Reliqua item, quæ in vipera morfu dicta sunt, etiam his succedunt, cum in tensione vehementiori. Ut plurimum verò usq; ad nonum diem supersunt. Remedia autem eadem, quæ morfi à vipera conferunt: hæc Aetius.

Rrrr 4

Aenit.

AB Aspide ictis vulnus exiguum prorsus, quasi ab adaeta acu citra tumorem conspicitur: sanguis exiguus ille quidem, sed ater distillat: caligo velox oculos obnubit: labor in totum corpus multiplex, omnino levis, & non sine voluptate consequitur. Ideo Nicander perpulchre cecinit. At vir perit absque labore virens, atq; discolor: mediocris stomachi dolor afficit: frons perpetuo revellitur: genæ contremiscunt, quasi sine sensu in somno vacillent: hos mors tollit, ad diei trientem non dilata. Cæterum iis, qui ab aspide feriuntur, quæ de cerasse scripta sunt, auxilia dari debent. Nam venenum hoc, quemadmodum basilisci, aut sanguis bubulus, celerrimè in arteriis sanguinem cogit.

10

Aspidis
pernicio-
sus ictus,
& genera
tria.

REperio apud eos aut bores, qui animalium historias tradunt, tria Aspidum genera constitui, & unumquodq; ubi hominem morfu comprehenderit, celerrimè mortem inferre: quippe tanta est earum veneni vis in hominum necem, ut rarisimè serventur, qui ab eis percussi fuerint. De his scribens Gal. libro de theriaca ad Pisonem, sic inquit: Inter aspides nominata pyæ collum exporrigens, & statim metit a longitudinem, perinde ac si tunc rationalis fera facta esset, venenum solerter corporibus inspuat. Harum itaq; ferarum una (siquidem tria sunt Aspidum genera pyas dicta, chersæa, & chelidonia) reginam ferunt Cleopatram, cum vellet custodes latere, statim, & citra suspensionem mortem sibi concivisse. Hæc ille, qui subinde pluribus historiam enarravit tam invicti animi huiusce moribunda regina. Cæterum chelidoniam vocatam, id nomen sibi comparasse voluit, quod hirundinum modo dorso nigricet, & candicet alvo: quemadmodum & pyas altera dicitur, quod in hominem expuat, chersæa verò ita dicta est, quod in mediterraneis semper degat. Harum omnium meminit Aetius lib. 13. cap. 20. sic inquit: Aspidum apud ferarum scriptores tres species reperiuntur: quædam enim ex eis terrestres appellantur: quædam verò chelidonia quæ circa fluviorum ripas, præsertim Nilum, latibula habent. alia verò pyades nominantur. Terrestres quidem igitur majores sunt, & quandoq; usq; ad quinq; cubitorum longitudinem reperiuntur. Maxime verò pyades cinereo sunt colore, viridq; & ad auri colorem inclinant. Terrestres verò ut plurimum & ipsæ cinerei sunt coloris, quanquam & subvirides reperiuntur. Cæterum accessiones, & signa communia sunt in his, quos aspides momorderunt: vulnera enim in demorsu loco, veluti ab acu puncta inveniuntur: bina quidem ex maris morfu, ex scæmella verò quatuor citra magnum dolorem, a quibus nihil effluit nisi violentum animal sit, quod morsum inflixit. Consequitur autem stupor, pallor, frontis refrigeratio, asidui biatus, palpebrarum nictationes, colli inclinatio, capitis gravitas, segnitie, & collapsio in somnum profundum, ad finem verò convulsio. Mors autem in tribus ad summum hominis ex terrestri morfu sequitur: in chelidonia verò ictu præsentissima adest. Porro his, qui a pyade conspuuntur, caligo oculorum succedit, & cordis dolor, faciei tumor, ac auditus corruptio: tardius autem mors consequitur. Auxilium autem ab aspide morsis ferunt, & præsertim quos pyas momordit, ex acerrimi aceti potu: dandum autem est, quousq; aceti qualitate circa dextram præcordiorum partem perceptent: hepar enim in morsis ab aspide primum ajunt sensu privari. Cæterum ad prænotationem, an victurus sit percussus, centaurium cum vino tritum bibendum præbent: siquidem enim evomet pharmacum, morietur: si non, vivet. Quod verò veneni in corpus distributi vis probe evomatur, allia trita cum zytho exhibenda sunt, donec nauseabundus reddatur male affectus: aut opopanax cum vino diluto detur, & confestim evocet. Numius autem inquit: Origanum viridem, aut aridam pro ægri viribus cum vino dato. Post vomitum antidoti theriaci utendum, & communibus remediis prædictis. Utiliter autem ad plagam imponantur post cucurbitarum adhibitionem, & scarificationem, centaurium cum myrrha & modico opio. Rumex autem si cataplasmati modo imponatur, nihil ladetur. Præter opinionem verò auxiliatur Theriace tum plaga imposita, tum pota. Profunt autem & asidua excitaciones cum evulsionibus, & plagis, & universi corporis motus, & aqua marina calida pro fomento aspersa: hæcenus de aspidibus Aetius. Efficacissimum porro, & omnium, quantum equidem expertus sum, præstantissimum antidotum contra venenosum ictum aspidum, quas surdas dicunt, quæ in Italia pluribus in locis reperiuntur, est nostra quinta essentia, ex aqua vita, & antidoto nostro confecta. Quippe cum tenuium admodum sit partium, ictu oculi in universum corpus diffunditur, venas, & arterias confestim permeans. Unde prohibet, ne sanguis & spiritus in vasis refrigerati cogantur: atq; aucto calore innato, veneni vim arceat potentissimè, idq; superat citissime.

30

40

Basiliscus.

BASILISCUS.

CAP. LV.

ERasistratus in libro, quem de medicaminibus, & venenis condidit, de vocato basilisco scitè ita refert. Cum basiliscus momorderit, vulnus ad auri colorem efflavescit. Itaque in plurimis, quæ virus ejaculantur, cornites notæ ita se habent. Ad basilisci morsum, ut idem Erasistratus author est, auxiliatur castorii drachma in vino pota: item papaveris succus. Ictuum remedia ita se habent.

50

Basilisci
vicia hi-
storia.

Multiplex variag, est apud ferarum scriptores Basilisci historia, quem Latini Regulam vocant. Sunt enim qui scribant tantæ perniciæ animal esse Basiliscum, ut solo oculorum intuitu, alij sibilo tantum, alij halitu, alij verò morfu, homines statim interimat. Nec desunt qui vulgi opinionem secuti, ex antiqui galli ovo hanc sævisimam feram nasci putant. Ex hac itaq; historia varietate ac inconstantia, facile adducor, ut credam, plerosq; historiam Basilisci, ut fabularem descripsisse. Id quod etiam probe Dioscorides sensisse, atq; adeo nostro judicio ad stipulæ videtur. Siquidem si ne cum aliis accusaretur, Erasistratum citavit, authoremq; historia hujus fecit. Basilisci meminit Galenus libro de theriaca ad Pisonem (si tamen liber ille inter legitimos censetur) ubi sic inquit: Basiliscus bellua subflava, & triplici frontis apice munita, tantummodo conspectus, & quando sibilat auditus, videntes se, & audientes necat: atq; si quod aliud animal illum etiam mortuum attingit, statim moritur. Hinc ajunt omne aliud reptilium genus cavere, ne Basilisco vicinum habitat. Libro verò 10. cap. 1. de simp. med. facultatibus, idem contra Xenocratem scribens, non omnino Basilisci historiam comprobare videtur, sic inquit. Nam bestiam seu feram regiam, quam vocant βασιλισκὸν βασιλεῖν, ne videre quidem mihi unquam contigit: & si vera sunt, quæ de illa referunt, periculosum etiā est vel prope accedere ad hoc animal. Aelianus præterea Basiliscum tantæ veneni acuitate, & immanitate pollere ait, ut quamvis magnitudine dodrantalem non excedat mensuram, serpentes tamen omnes etiā ingentes, suo duntaxat halitu extinguat, adeo ut virga quoq; è longinquo contactus, illico tangentē conficiat. Scribit Julius Solinus, vires ne defuncto quidem Basilisco deesse, eaq; propter ejus emptas esse reliquias à Pergamēni amplo sefsterio, ut ad eum Apollini manu insignē, nec aranea intexerēt, nec alites involaret, cadavere ejus reticulo aureo suspensio,

60

suspenso, & ibidem collocato. Huius item horrendissima fera historiam tradidit Plin. lib. 8. cap. 21. ubi ita scriptum reliquit. Apud Hesperios Aethiops fons est Nigris, ut plerique existimaverunt, Nili caput, ut argumenta, quae diximus, persuadent. Catoble. Juxta hunc fera appellatur Catoblepas, modica alioquin, ceterisque membrum iners, caput tantum prae grave agere ferens: pas. id deiectionem semper in terram. Alias internecio humani generis, omnibus, qui oculos ejus videre, confestim expirantibus. Eadem & Basilisci serpentis est vis. Cyrenaeica hunc generat provincia, duodecim non amplius digitorum magnitudine, candida in capite macula, ut quodam diademate insigni. Sibilo omnes fugat serpentes: nec flexu multiplici, nec ut reliqua, corpus impellit, sed celsus & erectus in medio incedens. Nec arbutus non contraxit modum, verum & afflatus: exurit herbas, rumpit saxa. Talis vis malo est. Creditum quondam ex equo occiso hasta, & per eam subeunte vi non equitem modo, sed equum quoque, absumptum. Hinc tali monstro (saep enim enectum concupivere reges videre) mustelarum virus exitio est: adeo natura nihil placuit esse sine pari. Injiciunt eas cavernis facile cognitae sola tabe. Nec ante illa simul odore, moriunturque, & natura pugnam conficiunt. Hec de basilisco Plinius. Quem tamen plura cum aliis fabulosa narrasse putamus. Nam si tantum oculorum intuitu, sibilo aut balitu hominem interficit, non equidem video, quomodo factum sit, ut qui ipsum viderunt, ejusque faciem adnotarunt, ex quorum postea relatione hujus feræ historiam plerique descriperunt, incolumes evaserint: praesertim cum tam parvum sit animal, ut nisi è propinquo loco conspici possit. Atque adeo hinc mihi impossibile videtur, quin ipse aspicientes non viderit, cum (ut Plinius refert) non multiplici flexu incedat, ut reliqua fera, sed celsus & erectus: vel quod ex infecto circumstante aere, qui viderunt, non perierint. Caterum cum Erasistratus his fabulis nullam fortasse fidem adhiberet, certoque sciret Basiliscum morsu tantum, ut alia fera, homines interimere, ejus duntaxat morsus curationem instituit. Verum quandoquidem hujusce veneni vis adeo vehemens, & immanis existit, ut expugnari non possit, non est cur plura hic referam, quam ex Erasistrato memoria prodidit Dioscorides. Quem ducem & 20 auctorem secuti, ut ipse suis de medica materia libri hoc sexto finem imposuit, ita nos nostris in eos commentariis, quos ad nostram communemque rei medicae studiosorum utilitatem conscripsimus, jam extremam manum imponemus.

Plura fabulosa in Basilisci historia.

Non obliti immensas gratias agere DEO optimo maximo, cui & omnia accepta referimus, & honorem ac gloriam tribuimus sempiternam.

LIBRI SEXTI ET ULTIMI FINIS.



Rrrr 5

